ILLE VOS DOCEBIT OMNIA,

SIVE

DE S. SPIRITUS

ADVENTU



ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

CLEMENTEM XI.

PONTIFICEM MAXIMUM.

A Fr. IGNATIO RIARIO

Equite Hierosolymitano


Seminarii Romani Convictore.




ROMÆ, MDCCII. Novis Typis, & Fusoria Cajetani Zenobii ad Magnam CURIAM INNOCENTIANAM.

SUPERIORUM FACULTATE.

200





CLEMENTI XI.
PONT. MAX.
FELICITATEM.



UBI de Spiritu Sancto fit sermo BEATISSIME PATER non ultrò, sed blanda quadam necessitate tuos ad Pedes venerabundus devolvor, per quem enim omnia nos edocturus est Spiritus, nisi per Te, ò Grande ejus-

 dem

dem in Terris Opus, & Maxime Interpres! Quod itaque nos hodie in admirationem inducit, illud eſt: modò amabilitèr ſub Columbæ, terribilitèr modò ſub ignis imagine, Spiritum veritatis deſcendere. Suſpeximus olim ad Jordanem ſupra Domini caput, ſuſpeximus in hac eâdem aulâ ad aurem Magni Gregorii ſub candidæ volucris perſona delapſum: cur ergo alas nunc acuit in Linguas, nives accendit in Ignem, & pro gemitu tonitru dedit? Aliud in cauſa fuiſſe non judicaverim (ſi quid etiam mihi liceat de Spiritu interpretari) pręterquamquod, ubi erudienda eſt multitudo diſcipulorum, ignis efficaciam, & humanas motura mentes tonitrua Cœleſtis Hic Magiſter aſſumit; Sic olim igneo de rubo tanquam ex Cathedra Judaicæ turbæ documenta dictabat; at cum futurorum bonorum Pontifici Chriſto, & Succeſſoribus privatim adeſſe, eoſque Cæleſti imbuere eſt opus doctrina, tunc innocuæ candorem induit columbæ; maximè quippè convenit hanc inter, & Chriſtum, ejuſque in Terris Vicarios. Et ne abs Te B.P., nec ab iis, quæ noſtris ſunt oculis ſubjecta, ſimilitudo peregrinetur, quàm bene eximias animi Tui dotes Hæc exhibet? Morum ſcilicèt Innocen-

tiam

tiam, candorem, ac suavitatem, quae jamdiù Orbem Universum spectatorem habent, & laudatorem, quid vividiùs repraesentet, quam simplicitas, candor, & mansuetudo Columbae? Pacis amantem, ac nunciam quis hanc ignoret? Agitatam olìm à fluctibus arcam in Armeniae montem, velut in portum traduxit: Quot, & quanta Tu meditaris, ac moves, ut Ecclesiae tuae Arca tot bellorum diverberata procellis in tranquillo tandem considat! Et (nisi spes nostrae fraudentur) optatam Tibi debebit aliquando Pacem Europa. Si itaque tàm vividè Te totum refert columba, quàm libentèr ejusdem speciem assumpserit, & requieverit super Te Spiritus Domini, ut Te omnia doceret? Id ex muneribus, quae tuum tam largè profudit in sinum facili datur conjectura deprehendere, nam ubi aliis talium facta est dispensatio donorum, omnia in Te uno munerum ille Dator mira liberalitate congessit, inter quae quis satis miretur, & efferat illam propè divinam indolis tuae suavitatem, ac facilitatem, quâ nullum respuis, omnes amplecteris, quâ Romam tuam agnoscis ut antè, eosdem nos credis, eumdem Te praebes, qui priùs. Haec mihi reverentèr meticuloso ani-

mos addidit, ut obsequia mea tanquam ad compendium contracta, in brevi hac qualicumque oratione Tibi exhibere non pertimescerem. Non à quo, sed undè illa offerantur adverte, ex ea videlicet Domo discessere, quam Tu Magnis imples Hospitibus, totidemque Tui Imaginibus præteritæ, ac venturæ suspiciendam facis ætati. Vive igitur, & servet Tibi Spiritus munera quæ contulit, quæ nos experimur, quod si quid vltrà nobismetipsis ab illo liceat auspicari Vrbis, Italiæ, totius denique Europæ Pacem, ac felicitatem oramus, At jam exoravimus, si, quæ simplex omnium est votum, Tui Diuturnitatem concedat.



ORATIO.

UID eſſe dixerim BEATISSIME PATER, quod Divinus hodie in Magiſtrum promittitur Spiritus, qui nos omnia docebit? Cathedram quam habebat in Cœlo, an non in Terras tranſtulerat Deus, ut ad hanc rerum caliginem damnatos erudiret, unoque omnia diceret in Verbo Homine? Si ergo Filius jam nota fecit nobis quæcumque audivit à Patre, cur ut omnia doceamur, alium ad Doctorem tranſmittimur tanquam aliquid de Magiſterio defuerit Filio, vel minùs aliquid Filius, quàm Spiritus Sanctus à Patre didicerit? Facile eſt ſuo de cortice nucleum veritatis educere. Alia quippe inſinuanda non erat veritas, nec alia prædicanda doctrina, ſed eadem Verbi doctrina implenda

erat

erat per Spiritum, quod quàm feliciter evenerit, nostræ contemplationis esto materies.

Prosecuti nùper Christum ascendentem in Cœlum, descendentem hòdie de Cœlo Christi Spiritum excipimus: Bonus uterque Magister, alter omnia docuerat, sed quæ portare adhùc non dabatur, dedit alter ut omnia portaremus, quæ jam eramus edocti. At quam dispari viâ demissus, ut nos uterque erudiret! Unigenitum, qui est in sinu Patris quot sæculorum vota desiderarunt, ut antelucani instar roris placidissimè flueret? Rorate Cœli desuper (una omnium vox erat) & nubes pluant Justum; ac tandem è regalibus Cœli sedibus, non secùs atque in vellus pluvia, descendit, ut suavi quadam irrigatione homines imbueret, inque animorum penetralia tacito permearet illapsu. Qui verò de corde Patris, & Filii progreditur Amor in Spiritu hodie vehementi, in fragore, tonitru, & igne totum concutit, accendit, ac replet Orbem terrarum, & quis se abscondat à calore ejus? Sed cur tam diversa eidem doctrinæ tyrocinia præcedunt, tam absimili eadem veritas porrigitur magisterio? Semina scilicèt veritatis posteaquam Discipulis suis Verbum commiserat, intonuit de Cœlo

Do-

Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam, ut eos excitaret, erigeretque ad fructum dandum in tempore jam ſuo, neve ſemen tanquam ſuper petram delapſum ſterileſceret, lapideum Spiritu vehementi radicitùs abſtulit cor, eoſque ad bonam frugem omni fęcundarum flammarum imbre præparavit. Sic quos Verbum per dolores, ac gemitus ſanguineo Crucis in talamo parturierat, ſed nondùm benè formaverat, iterùm parturit hodie, & adhuc informes igneis linguis allambens perficit Spiritus. Et mirum ſanè quantùm profecerint novis imbuti documentis, quibus ineffabilitèr ignearum linguarum coruſcat authoritas. Vidimus nùper quam trepidæ, quam attonitæ mentes, & licèt Verbi adjuvarentur aſpectibus, præſentibus confirmarentur operibus, ſignis ac virtutibus paſcerentur, in terrena tamen ſemper incurvæ: Vidimus quam anguſta pectora, & incapacia divinorum ſenſuum portare magnitudinem, ut intelligerent quomodò erat Verbum Deus apud Deum? Quotiès vel præſentia explanavit, vel futura Magiſter annunciavit; ipſi verò nihil horum intellexerunt? Cum ſupra tumidum maris dorſum ſubſtratis fluctibus ambularet, liquidumque iter aquarum di-

vinis

vinis ſub veſtigiis obſequiosè concreſceret, Phantaſma eſt, turbati inclamarunt: qui paulò antè audactèr eloquens animoſa in verba proruperat, quàm ſubitò evaſit in cauſa Præceptoris elinguis, & caligantibus præ metu oculis juravit non noſſe hominem, quem in oculis habuerat tamdiù! Per carnis vulnera Deum in corpore jam Cœleſti nonnè mox explorabat Thomas, & ad credendam incorruptibilem Divinitatem fixuras clavorum, & cicatricum teſtimonia quærebat? Videte hodie quàm ſibi ſint iidem diſſimiles! Audite quanta tonet, & quam generoſa in omnium ore eloquentia! Quibus olim phantaſma fuit Verbum, illi, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, divina propemodum deſcriptione omnium mentibus contemplandum proponunt. Qui non noverat hominem, ut notum omnibus facit? Quod audivimus, quod vidimus, quod manus noſtræ palparunt de Verbo Dei annunciamus vobis. Qui denique ſub ipſum Crucis Dominicæ tempus metu corda trepida penetrante penè omnes aufugerant, latitabantque exinde muti in Cœnaculo tanquam in tumulo, impleti modò ea charitate, quæ foràs mittit timorem, & rabiem

biem perſequentium infringit, proficiunt à præceptorum ſcientiâ ad tollerantiam paſſionum, & ſub nullâ tempeſtate trepidantes fluctus Sæculi, Mundique elationes fide ſupergrediente conculcant, & morte contemptâ omnibus gentibus Euangelium veritatis annunciant. Aurum, cùm è Terræ viſceribus ad humanæ libidinis alimentum, Naturâ vel renuente, eruitur, ſi ſpectes, flavam quidem, ſed rudem, ac terream maſſam ſpectabis; fac ignis examen accedat, nomen Terræ in igne relinquit, deque flamma ſuſcipit vim coloris, ut credas indè naſci cujus ſimilitudine videtur ornari: haud aliter poſteaquam è tenebris inſcitiæ ad Veritatis lucem eruti fuerant à Chriſto Diſcipuli, quàm rudes adhùc, quàm lutei! At hodierno igne probati nomen Terrę in igne relinquunt, eoſque non homines credas, ſed Deos, & filios Excelſi omnes; Deus quippe Ignis conſumens miniſtros ſuos fecit flammam ignis, qui latè pervagatus beatiſſimis omnia flammis incendit, ac ſuccreſcentem ſylvam iniquitatis divina afflante aura depaſcit. Aſpice terrarum tractus immenſos divino hoc incendio occupatos non ut abeant in cineres, ſed ut renovetur facies terræ, & glacie ſu-

per-

perſtitionis diſſoluta ardore charitatis igneſcant. Nec ultimum ſanè tot flammis alimentum præbes, ò Roma: Apoſtolorum etenim Principes ſacras tibi faces ſupponentes compendium fecerunt incendii, haud ignari fore, ut per ſingula membra facilè diffunderetur divinus hic calor, ſi Mundi Caput, ac Regia Spiritùs arderes. Sic eſt B. P. quos paulò antè rudes è piſcatoria cimba navicularios, audivimus diſputantes de ventis, ac retibus, ſermonum indoctos, & imperitos, illi Rethores vicerunt, obturaverunt ora Philoſophorum, Sæculi ſapientiam non alitèr quam aracnearum telam diſſolverunt, & ſagenâ miſsâ in Mare piſcati ſunt Orbem. Grandia hæc moliti poſt operatoriam Spiritùs infuſionem, tale nihil cum eamdem haurirent à Chriſto doctrinam. Quàm tardè addiſcebant, quod docebatur ubi Verbum Magiſter erat, ubi Spiritus magiſter eſt, quam citò diſcitur quod docetur! Benè itaque dicuntur omnia à Spiritu edocendi, quia & ardentiùs velle, & efficaciùs poſſe, & faciliùs exequi acceperunt à Spiritu: Veræ quippè menſura ſcientiæ eſt Operatio.



F I N I S.